

où il leur fait part de la résolution où il est d'im- A paru jusqu'ici. ! Nous ignorons si cet imprimeur primer la collection des ouvrages de Rupert, et travaille à exécuter son dessein. (199) promet de donner des écrits qui n'ont point encore

(199) Cette édition a paru à Venise en 1749. EDIT.

ANNO DOMINI MCXXXIV

# HERMANNUS

EX JUDÆO CHRISTIANUS

## NOTITIA HISTORICA

(FABRIC. *Bibliotheca mediae et infimæ latinitatis*, lib. VIII, pag. 238)

Hermannus Coloniensis, *Judas* quondam dictus, genere Israelita, tribu Levita, ex Judæo Christianus, colloquiis Ruperti, abbatis ab anno 1124 Tuitiensis, Eckeberlique, episcopi ab anno 1127 Monasteriensis, aliorumque clericorum sermonibus permotus, atque adducto etiam ad Christianos fratre suo, canonicus Cappenbergensis ord. Præmonstr. in Westphalia scripsit *Opusculum de conversione sua* ad Henricum, quem modo filium, modo fratrem charissimum appellat. Hoc ex codice biblioth. Paulinæ Lipsiensis, in quo Hieronymi in Isaiam commentariis junctum erat, vulgavit D. Joannes Benedictus Carpzovius ὁ μαρπίτης ad calcem *Pugionis fidei* Raymundi Martini, observationibus Josephi de Voisin illustrati. Lips. 1687. fol

# HERMANNI JUDÆI

OPUSCULUM

## DE SUA CONVERSIONE.

(Ex manu scripto bibliothecæ Paulinæ Academiæ Lipsiensis edidit Carpzovius ad ealem *Pugionis fidei* Raymundi Martini, Lipsiae, 1687 fol.)

## EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Viro plurimum reverendo et clarissimo domino Theophilo SPIZELIO, Augustano, ecclesiæ ad D. Jacobi In Patria orthodoxæ pastori vigilantissimo, theologo et polyhistori celeberrimo, amico, compatri et in Christo fratri honoratissimo, S. P. D. Jo. Benedictus CARPZOV, D.

Cum ad editionem Raymundæi Pugionis pridem animo conceptam, superiore demum anno ad finem decurrente, manus ad moverem, venit in mentem, ! Spizeli optime, summum beatæ memorie theologum, Martinum Gejerum, affinem meum, sexennio antequam Parisiis primum imprimetur, in Dissertatione inaugurali, e Isaiae vaticinio de Messiae morte, sepultura et resurrectione ad ventilandum proposita monuisse, asservari in bibliotheca Academiæ nostræ Paulina ejus exemplar, quod tunc aliud quam manuscriptum esse non poterat. Ad membranas igitur perquirendas lustrandasque pergo, sed etsi diligentissime omnes meritissimus de re litteraria bibliothecarius noster, Joachimus Fellens, collega honoratissimus excussit, peculiari quoque catalogo publicæ luci exposito recensitas, Raymundum tamen offendit nullibi, ut, nisi memoria forte virum beatissimum felicit, facile crediderim defraudatam hoc thesauro bibliothecam fuisse, et catalogo et ordine et cura vigilantiori ante hæc tempora destitutam. Interea dum Raymundum frustra quero, Hieronymi in Isaiam Commentarios in membrana scriptos solertissimus bibliothecarius hoc nomine commendat, quod proselyti cuiusdam de sua e Judaismo ad Christum conversione opusculum, eleganti quidem charactere, sed antiqua manu exaratum simul exhibeat, ipsumque codicem, sane pretiosissimum, ut paulo curatius versem, domum mittit. Non memineram Hermannum illum, hoc enim auctori nomen ascriptum exstat, ullibi apud scriptores nominari, etiam illos, qui de Judæis ad Christianam religionem conversis ex instituto disserunt, tantum abest ut opusculum unquam impressum viderim, quod et consimiliter præsentes amici coram, et alii per litteras consulti negabant. Quare non omnem prorsus operam me perditurum existimavi, si tot annos catenis vincatum liberarem, ut Raymundum Lipsiae jam prodeunte in pedisse qui loco comitaretur, etsi illum ætate sæculum integrum cum dimidio antevertit, adeoque ab antiquitate saltem, si non aliunde, dignus qui commendetur. Ita enim